Interea respirat Ecclesia ad dum expectat
liberationem. Cur nos imponeremus per
Ecclesiae onera ~~Ita~~ intollerabilia? Et haec
quidem de illustrioribus locis et civitatibus
diximus. Nam quod de obscurioribus locis
seu pagis censeam, exponet tibi N. meam
sententiam et etiam eiusdem velut. Tuae
enim res non minus nobis quam nostrae
curae sunt. Feliciter et bene vale.
Anno 1549.

Edita est a Caspa-
re Peucero inter Epistolas
Melanchtonis Witteb.
1570. p. 240.

Epistola Philippi Melanthonis ad Concionatores Nurenbergenses de mitigandis dissidijs.

S. D. Utinam similis consensus esset Ecclesiarum
utrinque de vera doctrina Evangelij, ut Ecclesia vestra
multos iam annos Dei beneficio nobiscum tanquam una
voce Christum praedicat. Nec vero dubitamus
hunc consensum salutarem fuisse, et quibusdam
Ecclesijs profuisse exemplum. Quid autem optabilius,
quid pio pectori dulcius, quam videre florentes Ecclesias
in quibus vere colitur Deus, et traditur doctrina

salutaris, et quarum exemplo εὐσημα, ut Pauli
verbo utamur, ornant gloriam Christi?
Cum igitur maxime fieri concordiam perpetuo
cupiamus, duximus hoc tempore vobiscum com-
municanda esse consilia, cum imperiter delibe-
rationes existimamur, de mitigandis publicis dissidijs.
Scripsit enim Lundensis ad principes nostros: Venire
Caesarem in Germaniam, non ut bellum civile
moveat, nec ut sanguinem piorum propinet
exorbendum Pontificibus, sed ut deliberet de con-
cordia moderatis rationibus sancienda, ac hortatus
est nostros, ut et ipsi diligenter cogitent, quarum
rerum mitigatio ad firmam et durabilem tran-
quillitatem profutura sit. Magna laus est
Imperatoris Caroli, si hoc vere agitur, ut Christi
gloria illustretur, et saluti totius Ecclesiae consulatur.
Praeclare enim illud in Tragoedia dicitur de excellenti
Imperatore: Consulere patriae, parcere civibus, fra-
terna caede abstinere, mores regere, reddere orbi
quietem saeculo pacem suo. Haec summa virtus,
petitur hac caelum via. Sed nos multa movent,
ut suspicemur vel omnino falso spargi hanc famam,

ut pulcherrima rei simulatione benevolentiam et
plausus sibi colligant adversarij apud populum,
vel insidias struant pretextu pacificationum.

I Primum enim quomodo consentaneum est de con-
cordia authores esse, cum imperari eo possit, ut
proscriptio Mindensis aboleatur, cum parari ad bellum
omnia constet, cum Reges invitentur ad societatem
impij et turpissimi foederis, quod in vestra urbe
II factum est. Denique cum ferreae mentes
Pontificum nihilo magis ad aequitatem flecti possunt
quam Pharao poterat. Solet enim comitari
talis pertinacia, blasphemias et parricidia.

Sed quia nobis voluntas Caroli ignota est, credun-
sane Laudensi, non falso promitti deliberationes
de Concordia. Ne hacquidem tamen periculo, ut
optandum est, Carolum vere et ex animo velle
Evangelio suam curam restituere, et divinae voci
parere, quia Regibus concionatur inquiens: Et
nunc Reges intelligite. Ita meminendum est,
Nota ne, ut nunc sunt aulae plenae sophistices, hoc
agatur, ut arte obruatur vera doctrina nomi-

praestigijs. In Synodo Syrmiensi, cum
Constantius dissidentes Ecclesias conciliare studeret,
non errore sublato, sed fucato Symbolum Nice-
num mutatum est, et posita vox ambigua, conis(?),
quam utraque pars repudiaret, placuit poni pro
ὁμουσία ὅμοιον. Sed paulo post erupit malum
rursus multo violentius, et hac ipsa ambiguitas
peperit nova certamina. Eadem procul iam fiant(?),
si agatur de concordia. Vidistis haud dubie Colo-
Nota niense scriptum, in quo affinguntur abusibus com-
modiores interpretationes, et laus ingenij putatur,
has sophisticas glossas excogitare. Atque Romae
iam, et in Gallijs in admiratione sunt artifices
Nota harum glossarum. Huc ergo decurrent, Articuli
proponentur, ut errores et abusus pictis fucis quibus-
dam restituantur, forte si ut etiam aliqua deliniti
assentiamur, nobis quoque donabunt aliquos nostros
articulos. Deinde iubebunt nos consulere, non
nobis tantum, sed etiam caeteris nationibus, quia de-
Nota terreantur a meliore doctrina, si horridius ea
nunc defendere velimus, dicent de periculis multarum

bellorum, satius esse mediocres Ecclesias, quam
nullas habere. Has voces in conventibus di-
ximus etiam a nostris. Et valent haec argu-
apud homines prophanos, intentos suis opibus
aut voluptatibus, quorum est utique magnus nu-
No. modo. Fortassis et insidiae spectant eo, ut
distinguantur nostri, quos adversarij alioqui non
No. opinor cohaerere videant. Erunt ergo aliqui,
qui levari cura, sumptibus et periculis volen-
tesque ob causam boni consulent numinis Caesaris
dicent se de ceteris non pugnaturos esse, fugitivos
esse civile bellum. Tam varia pericula cum
illae insidiosae compositiones allaturae sint, perpetuo
pijs opus est afferre animos bene paratos et con-
firmatos. Opus est eis etiam firmo consensu
inter sese. Quare ut consilia communicemus,
duximus vobis significandum esse summam
nostrae sententiae et nostri consilij, ac petimus vi-
cissim, ut vestram sententiam nobis significetis.
Etsi enim fortassis sunt apud vos, ut alibi, homines
prophani, qui haec certamina iudicant esse

inanes λογομαχίας, inutiles civitatibus et vitae
hominum. Ideoque dant operam, ut quoquo modo
moliuntur sese, sicut Latrax piscis, postquam voravit
hamum, tamen evadit sibi ipsi os lacerans,
ut ab hamo se avellat. tamen horum iudicium
nihil ad vos et Ecclesiam pertinet, vestram suffra-
gationem petimus, et nobiscum congruere voluntates
Ecclesiae vestrae non dubitamus, maxime autem
optandum est, ut concordia, quae hactenus inter
vestram et nostram Ecclesiam fuit, sit perpetua.
Totam autem deliberationem, nos quidem in tria
membra partiti sumus: Aut petent in
doctrina aliquid mutari, aut in externis rebus
necessarijs, aut in externis prorsus Adiaphoris.
De doctrina sane sic decrevimus nos prorsus nullam
mutationem ullius articuli confessionis, et Apologiae
admissuros esse, quocunque praetextu. Augustae rem
eo adduxerant, ut simul articulos conderemus
ambiguos et flexiloquos. Res erat similis Syreni-
ensis illius exempli. Sunt autem vere nostrae

aliquanto pluribus lucubrationibus ita iam perfectas
atque explicatas, ut quod veri sentiamus satis liqueat.
Et si quid requirent, rursum declarabimus nostras
sententias et oratione et scriptis. Sed cum ipsi
Nō articulos novos nunquam condemnus, ut veritas antea
illustrata, nunc novis ambagibus obruatur.
Si veritatem quaerunt, ut iactitant, assentiantur
recte explicatis dogmatibus. Si tantum illud agunt,
ut cavillationibus novis detrahant aliquid de auctho-
ritate doctrinae verae, fugiamus eos, ut sycophantas
Aristopha: in nubib: dignos odio. Dicit senex in Comoedia quam
studendum sit foenerator captiuncula de ἔνη καὶ
νέα. Ab Ecclesia procul explodantur tales cavilla-
tiones. Sitque illud Simonidum, aut versare dolos
Nō aut rectos occumbere morti. Nos tyrannis potius
cervices feriendas praebere decet, quam Evangelium
filii Dei corrumpere. Extant Catecheses, veteres
et nostrae Ecclesiae, in quibus doctrinae summa
traditur, quae non obscure testantur nos vere con-
sensum Catholicae Ecclesiae Christi de doctrina am-
plecti et tueri. Retinemus symbola, repugnamus
sententiam

sententiam totius Propheticae et Apostolicae scripturae
de poenitentia et de fide. Restituimus legitimum
usum sacramentorum, monstramus quid sen-
tiendum de superstitiosis ritibus sit, revocamus
pios ad vera bona opera, ostendimus dignitatem officiorum
civilium, discrimen legis promissionumque. Denique
multis articulis doctrinae Christianae lucem attulimus.
Id negare non possunt adversarii, et si sine calumnia
volunt iudicare, fateri coguntur, nos pia et utilia docere.
Quare si volunt, assentiantur, si non volunt, se-
quenda nobis erit Regula Pauli: Si quis aliud
Evangelium docuerit Anathema sit:
Secunda pars deliberationis nostrae est de externis ne-
cessariis. Has vocamus abrogationes eam Missa-
rum, in quibus desunt qui una utantur sacramento,
abrogationem Canonis, qui iubet offerri illam
ceremoniam pro aliis vivis et mortuis, abroga-
tionem universae invocationis mortuorum
directe vel indirecte, abrogationes votorum, et
Monachatus, restitutiones coniugii sacerdotum
et integrae synaxeos, abrogationes magicarum rituum

consecrandi aquas, herbarum, uelorum & similium
rerum, Item funebrium sacrificiorum.

Minus curant Reges dogmata, quam externam formam Ecclesiarum, Ideo dimicabunt acri-
No me de retinendis priuatis Liturgijs, de usu unius partis sacramenti, De inuocatione diuorum, forma & de celibatu litigabunt, quia quia commendis mundis opibus Ecclesiasticis, & splendori sacerdotum intelligimus pontifices et Reges magnopere à coniugio sacerdotum abhorrere. Nec monasteria omnino aboleri volent, Denique proponent nobis moderationes Moshemicas et Wiclianas, quae retinent neruos impietatis. Caeterum quae vulgaria vitia iubent corrigi, quae tamen tolli non possunt, si radices maneant.

Etiamsi autem non arbitramur de Missa & applicatione quaeque et nobis consentientes esse, tamen fingam sunt aliquos disputaturos esse ad Gallicanum consilium ut quotidie in Parochijs una Missa fiat, etiamsi desint communicantes. Disputant enim hanc Ceremoniam esse opus & spectaculum, quo gratias agimus, quod memoria retinetur mortis Christi, Posse igitur à singulis fieri, inquiunt, Ut singuli possunt vel recordationis causa, vel ut gratias agant legere historiam de morte Christi vel psalmum aliquem eodem argumento. Haec speciose disputantur à prophanis qui instructi sunt literis et eloquentia, & conferunt hos ritus ad spectacula Romana aut Attica, memoriae causa instituta. Videmus enim delati ingenia ad prophanas opiniones, sed nos simpliciter docemus, non recipiendos nos ullam Liturgiam sine communicantibus, quia neminem licet instituere cultus sine mandato Dei. Tale autem spectaculum haberetur pro cultu necessario Ecclesiae, & discernendo a manducatione populi. Quare prorsus non recipiendum est, Repullularent omnes abusus cum demum haec forma recepta. Statim enim dicerent, id spectaculum cultus esse ex opere operato, sicut Ethnici senserunt suas mactationes esse cultus ex opere operato.

Nec adferendum est hic exemplum Leviticarum Ceremoniarum. Hae erant paedagogia populi, & etiam

causam servandas erant, non ut cultus. At in novo
Testamento nulla ceremoniae sine fide placent Deo.
Liber sit usus huius Ceremoniae, ut Paulus inquit
probet seipsum homo, et sic de pane illo edat,
et maneat forma ministerij à Christo instituta
et observata aliquot seculis in prima Ecclesia.
Nec queri possunt adversarij, nos ab Ecclesia dissentire
si illud spectaculum nolumus recipere. Ipsi potius
a vera et veteri Ecclesia dissentiunt, quia morem
amplectuntur ignotum veteri Ecclesiae.

Postulabunt et illud ut approbemus usum unius
partis Sacramenti, sed assentiri non possumus,
Non enim licet nobis abolere institutionem Christi.
Scimus nos admodum graviter ferre eum propter
mortuorum invocationes, dicuntur idola colere.
Ideo quem nominus pretextum, dicunt: [illegible]
Ora pro nobis Sancte Petre. Nec hanc formam
recipiemus. Nam omnis invocatio absurde
tribuit illi omnipotentiam. Verias arbitramur
nō ~~praestigias~~ excogitatores esse ad excusandum et

radicem impietatis, et ut Protheus omnia versu-
ros esse in miracula rerum. Sed omnino decerni-
mus, nec de illis rebus externis, quas recensuimus
quicquam adversarijs largiri.

Ad has adiungimus quoque hoc: Nunquam probaturi sumus
Pontificis Romani potestatem, quam sibi sumit
supra ceteros Episcopos, quae etiamsi velit fortassis aliquid
largiri nobis Barbaris, ut nos vocat, tamen in
ceteris regnis eadem prohibebit, iubebit pios in-
terfici, nec desinet esse Antichristus, ut Paulus sig.,
stabilire enim Tyrannidem non licet.

Tertia pars deliberationis est de rebus Adiaphoris,
ut sunt aliquae in templis lectiones piae,
vestitus et similia, Item de Episcoporum
authoritate, Iurisdictione, et Ordinatione.

De his rebus agi nihil potest, nisi prius vere con-
veniat de doctrina et de rebus necessarijs.
Si Episcopi mordicus retinebunt errores et impias
Caeremonias, necesse est Paulinae Regulae obtempe-
rare. Si quis aliud Evangelium docuerit;

Anathema sit. Nec illi nostras Ecclesias ornatas
sed potius vastatas esse. Sed si qui essent Episcopi
qui, ut Rahab, vererentur iudicium Dei, et respicerent
nostras Ecclesias, ac patriam, amplecti Evangelium
propter gloriam Christi, et suum officium recte
facere vellent, cum his de Adiaphoris facile con-
veniret. Ut nunc quoque dissimilitudines, in ritibus
Adiaphoris passim boni consentimus, modo ut absit
impietas et retineatur doctrinae pietas.

Meministis Attali Pergameni historiam, cum
quispiam Alcibiades quodam indocto studio
pietatis, novam et duriorem victus rationem
sibi praescriberet, ac quotidie tantum pane et
sale vesceretur, et pauxillum aquae biberet,
Attalus martyr in carcere divinitus iussus est
Alcibiadi dicere, ut communibus cibis vesceretur,
et ratio addita est, ne scandalo sit fratribus, hoc
ne alii auditores admirantes hanc novam et pro-
digiosam consuetudinem arbitrarentur talia opera
cultus esse, et obliviscerentur doctrinam de veris
cultibus. Laudamus igitur et nos eos

qui etiam in Adiaphoris abolent ritus ineptos
et inania, quae aliquid erroris offundunt impe-
ritis, sed tamen de tota forma politiae Eccle-
siasticae inter pios tunc deliberandum erit, qui am-
plectentur Evangelium. Nam et forma ordinatio-
nis corrigenda esset et tollendi Canones de
digamia, et emendandae erunt leges Pontificiae de
divortiis. Nec possunt quidem durabiles esse
leges, quia non sunt divinitus traditae.

Hortandi etiam erunt illi, ut Caeremonias Theatri-
cas et indignas Christiana gravitate tollant
etiam ex templis, quales sunt statuarum gesta-
tiones et aliae similes. Sequamur non
Ethnica sed Apostolica exempla, et amemus
divinitus traditas Ceremonias, quarum summa
est et gravitas et utilitas. Sonent in templis
piae et eruditae conciones, habeat populus cantiones
ex quibus discat, fiant precationes seriae, cele-
bretur Synaxis, quoties pii Sacramentum
petunt, sed accedat privata absolutio, quae
multis de causis retinenda est. Retineamus et

Excommunicatio, non ut ante in litibus verum
prophanarum, sed de flagitijs manifestis, adhibito
in hoc iudicio seniorum in qualibet Ecclesia.

Hae sunt graves et necessariae Ceremoniae ad servan-
dam disciplinam, de quibus cum adversarijs non
agere possumus, quibus tantisper dum oppugnant
Evangelium nihil authoritatis in Ecclesia tribuere
possumus.

Nō Habetis summam nostrae sententiae, in qua, Deo
dante, nihil mutaturi sumus. Nec prophana
iudicia veremur illorum qui clamitant, si per-
tinaciam paucorum incendere bellum civile,
vociferantur: quam condonanda esse publicae tran-
quillitati, satius esse habere qualescunque, quam
nullas Ecclesias, debere nos his conventiculis
anteferre Concordiam, ut Turcicum bellum suscipi
possit. Denique multa a sapientibus colligi
scimus ad nos reprehendendos. Nec nos adeo
sine sensu communi sumus, ut soli non vi-
deamus pericula nostra et omnia, sed mandato
Dei obtemperandum est, quod postulat Confessionem

verae doctr.

verae doctrinae, et reprehensionem impiorum cultuum,
et exitum illi sibi commendari. Etsi autem
non dubitamus, quin vos, ut hactenus cum
Ecclesia nostra, vestram sententiam coniuncturi
sitis, tamen vos etiam atque etiam rogamus,
ut nobis voluntatem vestram significetis, speramus
Ecclesiam vestram seminarium esse vestra
suffragia. Etsi scimus alios isthic esse Oli-
garchicos homines, qui ut Ecclesiae, ita Aristo-
cratiae pulcherrimae urbis non sunt aequi, qui
dum novo et immodico studio aucupantur gratiam
hostium Evangelij, quos execrari propter parricidia de-
bebant, satis significant se vos quoque libenter excussu-
ros si possent. Quanto vis honestius esset συνα-
γωνίζεσθαι τῷ εὐαγγελίῳ, quam confirmare in
adversarijs odium verae doctrinae, et spem defectionis
aliorum. Nihil igitur ad illos Oligarchicos scribi-
mus, vobiscum deliberamus, vosque rogamus,
ut sententiam vestram nobis significetis.
Deus gubernabit eventus, nec deseret veram Eccle-
siam, sed etiamsi subeunda esset crudelitas

d.

Nō adversariorum propter Evangelii confessionem,
tamen id malumus, quam abiicere piam doctri-
nam, et contumelia afficere Christum. Cur hor-
remus haec gloriosa certamina, cum videamus fi-
Dei pro nobis miserabile supplicium perpessum es-
Si vere colimus Deum meminerimus praecipue p-
lari ut victimas famus, quales fuerunt plurimi
patres, Prophetae, Apostoli, et Martyres omni tempore
qui maluerunt interfici, quam abiicere verae doctri-
professionem. Senex Esaias cum annos
fere octoginta rexisset Ecclesiam, et patriam in-
gentibus bellis liberasset, tandem serra scindi-
Ieremias cum 40. annis gubernasset regnum
Iuda, et reliquias servasset, tandem lapidibus
obruitur. Illis tantis viris sic meritis fuit
subeunda crudelitas. Nos pudeat esse tam delica-
ut melius nobiscum agi à Deo putemus, si nos
affligi sinet. Sed hanc Philosophiam isti Oligarchi-
viri non curant, quorum malitiam et stupiditatem
nos imprimis detestari scimus. Videmus saepe

mundo restare impietatem et Epicureas opiniones,
Nō Eo maiore contentione veros honores Dei tueri omnes
pii debebant, non solum doctores Ecclesiarum, sed
etiam caeteri, qui praesunt civitatibus, quos etiam
suam authoritatem ad gloriam Christi conferre opor-
tet. Astute hoc semper egerunt adversarii,
Nō et si quas proponunt moderationes, praecipue hoc
acturi videntur, ut nostros distrahant non ignari ro-
rationis Eumenis de Antigono, in qua ille narra-
bat Apologum. Leo quispiam amans pastoris
filiam puellam, petiuit eam sibi dari uxorem, narrat
amorem suum, ideoque promittit puellae nihil fore
periculi, sed victuram cito et suaviter apud ipsum,
Pastor rudet, Initia amoris ardentiora esse, postea
saepe incidere rixas inter amantes, quod si inter ipsum
et puellam accideret, metuere se ungues et dentes
Leonis. Abit igitur Leo, et dentes eximi sibi
ac truncari ungues curat. Postea ad pastorem
redit iterum petens puellae nuptias. Pastor ve-
videt Leonem exarmatum esse unguibus et dentibus
fuste eum mulctat. Ita videtis adversarios

agere, ut singulos nudatos praesidijs opprimant.
Verum id viderint illi ad quos haec cura pertinet.

Nota

Nostrum est constantiam in dicendo vera sententia praestare, et cruciatus pro Christi gloria non defugere, si rabies adversariorum nos ad supplicia rapiet.

Haec scripsimus ad vos optimo et amicissimo animo ac petimus ut Epistolam nostram boni consulatis, ac nobis quam primum respondeatis. Bene valete. Anno 1540. 17. februarij

Clarissimo Viro Dno Philip: Melancho: patrono et amico, ac fratri colendissi: atque Charissi:

Ingentes agimus gratias vestrae charitati pro tam opportuno et necessario vestro officio.

Consilium Jacobi Suevinij

Ante mensem Dns Jacobus Suevinus huc scripserat, ut ad vos mitteremus consilium de vestra sententia, verum id securitas nostrorum hominum [illegible] procrastinavit.

Vos tamen aequi boni consulite, qui non id nostro ~~consilio~~ sumptu fecimus, quo magis vobis debemus, qui isto beneficio praevenistis. Tabellario vestro sumptum nostri dederunt sex florenos, quibus eum se conductum, et unum adiecerunt honorarij vice. Responsum vestrum omnibus nostris, cum Senatoribus pijs, tum collegis perplacet, agimusque gratias Deo, qui Ecclesiae suae istos conservat Spiritus, quem oramus omnes, ut vos servet diu. Mittimus interim, et quae nostris responsa dedimus, praecipitata illa.

Illa propter praecipitantiam ad describendum nos transmisit

Nam tempus brevissimum ad ea conscribenda datum nobis fuit, quo factum est, ut omnia nimium contraxerimus, ac quaedam ex meis responsis datis, Aegidio duobus Electoribus in hunc librum transferre coacti sumus, quod id fecimus securitatis, quod nostris minus esset periculi ab isthac tam foeda libri cauda. In caeteris quoque ad Laicos nostrorum sensus respeximus, qui quae ad externa

Palati: Marchio:

Foeda libri cauda, Interim et de Caeremonijs.